



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Brevis de consuetudine sancti Donati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

aliquæ querimonie pro ipsis rebus adversus eum
 orta fuerint, quæ absque gravi dispendio nequeant
 diffiniri, jubemus ut usque in nostram suspendantur
 presentiam, quatenus ibi finitivam accipiant sen-
 tentiam. Et quicumque contra hoc nostræ immuni-
 tatis præceptum aliquid contradicere vel violare
 præsumperit, sciat se sicut & alias res emunctorias
 compositurum & emendaturum. Et ut hoc nostræ
 auctoritatis præceptum absque alicujus mutilatione
 plenissimam obtineat firmitatem perennis tempo-
 ribus, manu propria subter illud firmavimus, &
 anuli nostri impressione insigniri præcepimus; &
 propter quorundam malorum hominum calliditates
 illudetiam inserere jussimus, ut si aliquis nostri facti
 refragator in aliquo repertus fuerit, mox pœna
 quam lex Theodosij præcipit, id est triginta libris
 auri esse multandum, atque chartario nostro substi-
 tuendum, & absque ulla minoratione Missis nostris
 persolvendum. Signum Ludovici. Datum 11.
 Idus Augusti anno incarnationis dominicæ DCCCXCV.
 Indictione XII. anno Christo propitio regni Ludo-
 vici Regis IV. Actum Nicias castello in Dei nomi-
 ne feliciter. Amen.

De consuetudine sancti Donati.

BRevis vel computatio de consuetudine quam
 Episcopi Gratianopolitanæ urbis Ysaac, Al-
 cherius, Isarnus, Umbertus habuerunt vel tenuerunt
 seu fecerunt in Ecclesia sancti Donati confessoris,
 quæ est in comitatu Viennensi sita & in vico
 Iovinziaco. Hi Pontifices congruo tempore in illa
 Ecclesia ut voluerunt ordinaverunt Clericos, dede-
 runt pœnitentiam peccatoribus, eiciendo de Eccle-
 sia & recipiendo, benedixerunt ibi chrisma in cœna
 Domini. Et in parasceven est consuetudo ut ibi

veniant viri religiosi & potentes, & iusti & peccatores, audire divinum officium. Et est insuper alia consuetudo in prædicta Ecclesia vel in suprascripto loco, ut in suo cimiterio nobiles & potentes, divites & pauperes, sine ulla contradictione sepeliant, & numularios id est monetarios habeant. Has consuetudines, ut diximus, in vico Iovinziaco suprascripti Episcopi & Canonici sancti Donati habuerunt & tenuerunt firmiter per donum Regis & per consensum Episcoporum seu laicorum nobilium illius regionis.

FORMOSI PAPÆ

Epistola ad Bernonem Abbatem Gigniacensem de privilegiis ejusdem monasterij.

Formosus servus servorum Dei Bernoni religioso ac venerabili Abbati cœnobarum sito Anno Christi 896. territorio Lugdunensi, quod in honore beati Petri Apostolorum principis constructum esse dinoscitur in loco qui Gigniacus perhibetur, ac in eodem venerabili monasterio in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere & poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum pretium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportunè ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur properans ipse Berno venerabilis Abbas ad beatorum Apostolorum limina, nostramque adiens apostolicam præsentiam, retulisti nobis ipsam memoratum cœnobium à te tuoque consobri- no nomine Laifino de propriis rebus vestris duntaxat in honore sancti Petri constructum atque dicatum